

tamen sit, ne tutior non sit: magna gladiatorum est licentia; sed in externis locis minor etiam ad facinus verecundia. Mihi salus tua tantae curae est, ut Marcello fratri tuo aut par, aut certe proximus sim. Tuum est consulere temporibus, et incolumitati, et vitae, et fortunis tuis. Vale.

XII. M. T. C. P. NIGIDIO FIGULO S. D.

«Exsulantem Nigidium consolatur, quantum potest qui in eadem causa fuit. Spem tamen futuri reditus ex certis signis facit: conditionis pristinae facere non potest. Ideoque utramque fortunam ex aequo ferendam hortatur.»

Quaerenti mihi iamdiu quid ad te potissimum scriberem, non modo certa res nulla, sed ne genus quidem litterarum usitatum veniebat in mentem. Unam enim partem, et consuetudinem earum epistolarum, quibus secundis rebus uti solebamus, tempus eripuerat: perfeceratque fortuna, ne quid tale scribere possem, aut omnino cogitare. Relinquebatur triste quoddam et miserum, et his temporibus consentaneum genus litterarum. Id quoque deficiebat me, in quo debebat esse aut promissio auxilii alicujus, aut consolatio doloris tui. Quod pollicerer, non erat: ipse enim pari fortuna abjectus, aliorum opibus casus meos sustentabam; saepiusque mihi veniebat in mentem, queri, quod ita viverem, quam gaudere, quod viverem. Quamquam enim nulla me ipsum privatim pepulit insignis injuria: nec mihi quidquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultro mihi Caesar detulerit: tamen nihilo minus eis conficior curis, ut hoc ipsum, quod maneam in vita, peccare me existimem. Careo enim cum familiarissimis multis, quos aut mors eripuit nobis, aut distraxit fuga, tum omnibus amicis, quorum benevolentiam nobis conciliarat per me quondam te socio defensa respublica, versorque in eorum naufragiis et bonorum direptionibus: nec audio solum, quod ipsum esset miserum, sed